

esse ipsorum pars et hereditas, id est, portio hereditaria; quia Levitae quasi filii et haeredes Dei, gaudebant ejus bonis, puta decimis et primitiis, ut patet Num. 18, 21. Rursùm Levitae solvebant pontifici decimam partem omnium suarum decimarum, ut patet Num. 18, 28; pontifex ergo olim ditissimus erat.

Hinc cap. Parochianos, extrax. de decimis, asserit et sancti Alexander III, dicens: *Chm decima non ab hominibus, sed ab ipso Domino sicut instituta, quasi debitum exigi possunt. Ubi videtur asserere, decimas, etiam apud Christianos, debitas esse ex jure divino; quod intellige de jure tum generali: jus enim divinum, imò et naturale, dicitur alendis esse à populo sacerdotes et Ecclesiae ministros, licet in particulari non dicitur eos decimas, aut primitiis, aliove modo particulari alendis esse: tum speciali, quia scilicet decima: in lege veteri erant jure divino Judaicae praecipuae, quam legem et quod jus divinum innovavit Ecclesia, idemque lege ecclesiastica sanxit; licet tota obligatio juris divini, quae divini quia jus illud erat ceremoniale cum lege veteri desierit, sicut abrogata, et tantum jam obliget lex positiva Ecclesiae, quae illud jus vetus, uti et pleraque alia, in suas leges recepit, et demò constituit ac stabilivit, plura de decimis et primitiis dicam Num. 18, v. 12, et 21, et 29.*

Vers. 52. — *OVINUM DECIMARUM BOVIS ET CAPRAE, QUAE SUB PASTORIS VIRGA TRANSEUNT, QUICQUID DECIMUM VENERIT, SANCTIFICABITUR DOMINO, ID EST, OFFERETUR ET DABITUR DOMINO PRO DECIMIS.*

Nota est et caprae legunt Romanae et Badulphi, et Hebraicum *ison* significat pecudes tam capras quam oves, eademque caprarum quae ovium, uti in sacrificiis, ita et in decimis apud Judaeos fuit ratio. Sept. ergo et Chald., qui solus ovem meminert, sub ovo et capram intelligunt.

Nota secundò est quae sub pastoris virga transeunt, innuit modum decimandi, videlicet ut pastor ad portam ovilis, vel caula consistens virga cohibeat suas oves, capras et boves, ne simul egrediantur, sed singula ordine, ita ut quod decimum venerit et exierit, cedat in decimas Domino, illudque cum alio mutare non liceat, sive bonum sit, sive malum, sive pingue, sive macrum.

Nota tertio. Sicut versu precedenti omnium frugum et fructuum decimas exigit Deus, ita hic exigit decimas animalium, idque tantum trium, scilicet bovis, ovis et caprae; quia haec sola munda erant, aptaque ad sacrificium. Abulens, tamen à pari censet aliorum quoque animalium, etiam immundorum, ut equorum, camelorum, asinorum, praecipuas et datas à Judaeis fuisse decimas: verum locum aliquem S. Scripti. qui idipsum asserat, non affert. Hinc patet, Judaeos ex

lege quotannis debuisse offerre Deo, tam frugum omnium, quam animalium, primò, decimas; secundò, primitias, easque quadruplices, uti dixi Num. 18, 2; tertio, victimas et sacrificia, tum quotidie, tum singulis sabbatis et festis praecipita. Num. 28 et 29.

Vers. 54. — *HEC SUNT PRAECEPTA, QUAE MANDAVIT DOMINUS MOysi AD FILIOS ISRAEL, IN MONTE SINAI, Juxta montem Sinai, ut dixi c. praec. v. 46: Fons sapientiae verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata aeterna. Sic vive, ut in aeternum vivas. O aeternitas, quam longa es, quam raro versaris in mentibus hominum! Quid est aeternitas? est circulus in se recurrens, cujus centrum est semper, circumferentia *nunquam*, puta *nunquam* finiri. Quid est aeternitas? est orbis ubique rotundus, sicutque similis, in quo non est principium, nec finis, in quo non est incipere, non desinere. Quid est aeternitas? est rota quae semper volvit, et volvetur in omne volubilis aevum. Quid est aeternitas? est annus jugiter revolutus, qui ubi occidit et moritur, ibi et renascitur, rursusque oritur. Quid est aeternitas? est fons in quo aqua per meandros ad suam scaturiginem semper refluit, ut iterum fluat; est fons perennialis jages dans aquas, et circulus in immensum. Quid est aeternitas? est anguis orbiculariter in se reflexus, caudam ore complectens, qui in sui fine rursum semper incipit, et incipere nunquam desinet; est principium sine principio, sine medio, sine fine; est jages, interminum semperque inchoans principium: in quo beati vitam beatam continuo aspiciunt, novisque voluptatibus perpetuo affluunt; damnati semper moriuntur, postque omnem mortem mortisque agoniam, rursum jugiter mori et agonizare incipiunt: ut sicut erat in principio, ita sic et nunc, et semper, erique in secula seculorum. Quamdiu terra erit terra, quamdiu caelum erit caelum, quamdiu Deus erit Deus, tamdiu beati erunt beati, tamdiu regnabunt et triumphabunt, tamdiu damnati erunt damnati, tamdiu ardebunt in pice et sulphure, et fumus tormentorum ascendet in secula seculorum.*

O aeterna veritas, o vera charitas, o chara aeternitas, Deus cordis mei, da ut te agnoscamus, tibi mente et corde inhiemus, da ut nulla nos capiat vanitas tam brevis, et in aeternum lugenda vanitas; da ut multos nobiscum trahamus ad beatam aeternitatem: da ut heroica virtutum opera in hoc momento designemus, quae coram Deo et angelis quasi trophaea fulgeant, et persitent in omnem aeternitatem. Amen.

## DOXOLOGIA DEI SANCTI

### ET SANCTIFICATORIS SANCTE COLENDI, EX SANCTIONIBUS LEVITICI.



Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem; adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Offerte holocausta, mincha pacifica, pro peccato; victimae et holocausta vestra pinguefiant.

Holocausta medullata offerre cum incenso arietum; offerte hoves cum hircis.

Verum jam holocausta, et pro peccato noluit, Domine; cum apparuit Christus, vera pro peccato victima, et dixit: Ecce voco.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Sacrificium laudis honorificabit eum, et illic iter, quo ostendet tibi salutare suum.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humilatum, Deus, non despicies.

Dirigatur Dominum, oratio nostra, sicut incensum in conspectu tuo; electio manuum nostrarum, sicut sacrificium vespertinum.

Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium;

Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde; et timemus te, et querimus faciem tuam.

Ignem divinum in altari cordis nostri, Domine Jesu, jugiter inflamma; quem venisti mittere in terras, et voluisti vehementer accendi.

Elegit, et excelsum fecit Dominus Aaron: statuit ei testamentum aeternum, ut doceret Jacob testimonia, et in lege sua lucem daret Israeli.

Dedit illi sacerdotium gentis; sacrificia ejus quotidie igne consumpsit.

Complevit Moses manus illius, et unxit eum oleo sancto.

Induit eum stolam glorie; tiarâ coronavit eum, in vasis virtutis.

Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi sol fulgens, sic ille effulsit in templo Dei.

Oblatio regis excelsi in manu ejus; libavit ad basin altaris de sanguine uvae.

Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis ductilibus sonperunt; vocem magnam dederunt psallentes Domino.

Cecidit omnis populus in faciem suam, adorans Dominum; et dedit preces omnipotenti Deo excelsio.

Tunc descendens manus suas exultit in omnem congregationem Israel; benedixit ei in nomine Domini.

Iteravit orationem suam, petens dari populo iucunditatem cordis, et fieri pacem in Israel, per dies semperternos.

Nadab et Abiu obtulerunt ignem alienum; ignis egressus à Domino devoravit eos.

Separavit Dominus animalia munda ab immundis; vetuit ne immundis contaminarentur animas suas.

Sanxit in partu, in lepra, in fluxu sanguinis et sanguinis, purificationem, dicens: Sancti estote, quia ego sanctus sum.

Sanxit in die expiationis dari sortem caprarum, et pontificem expiare Sancta sanctorum.

Sanguinem omnium et adipem sibi deposcit, quia in manu ejus est mors et vita nostra.

Sanxit legitima matrimonii, ne quis ad proximam sanguinis accedat.

Sanxit tam sacerdotes quam victimas esse sine macula: quia ipse sanctus est, et sanctificans eos.

Sanxit celebrare phases, Pentecosten, sabbata et tabernacula: ferias sanctas Domino.

Bucinare in neomenia tubâ, in insigne die solennitatis Israel.

Sanxit sabbatum terrae, sanxit letum jubileum, et in eo remissionem cunctis habitatoribus terrae.

Sanxit leges votorum, primogenitorum, decimarum ex *charen*, Sanctorum sanctorum Domino.

Novets, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Non fecit taliter omni nationi; caeremonias, et judicia sua non manifestavit eis.

Mirabilia testimonia tua, Domine; ideo scrutata est ea anima mea.

Da mihi intellectum, et scrutabor mandata tua; considerabo mirabilia de lege tua.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

## IN LEVITICUM

### Dissertatio.

Levitici nomen ex legibus ad sacrificia spectantibus, muneribusque sacerdotum et Levitarum, libro inditum est. Quare alterum ejus apud Hebraeos nomen *Lex Sacerdotum*. In Hebraeo ex primâ voce

in exordio operis occurrente *Vajora* appellatur.

Post erectum in sacrum illud tentorium descendit, ut ad illud accedere ne Moyses quidem ipse auderet, quemadmodum in postremo Exodi capite relatum est. Sed venire remouentem appellans Deus leges illas docuit, quæ septem prioribus Levitici capitibus continentur. Omnium primum holocausti ritus, et ceremonias, tum eas quæ victimas offerendas, cum eas quæ sacerdotes immolantes spectant, præscribit (Cap. 1). Succedunt panis, vini, placentarum, spicarumque virescentium oblationes (Cap. 20); easque demum sacrificia facit, vel Eucharistica excipiunt. Omnes deinde sacrarum ceremonias, et victimarum partes, quam adolentia potissimum diriguntur (Cap. 5). Hostiæ pro expiatione criminis à summo sacerdote commissi, sicut et pro criminibus quæ sive imprudenti populo universo, sive etiam aliquibus ex populo obreperint, suos singulæ habent ritus, in cap. 4 diductos. Duo succedentia capita tum eidem argumento, tum percurrendis variis criminum generibus, sacrificio expiandis, impenduntur. Ibi etiam quæ victimarum partes igne adolendræ, quæ verò sacerdotibus immolantibus cedant (Cap. 4, 5, 6, 7).

Erecto jam tabernaculo, Aaron ejusque filii in sacerdotes, initiante Moysse, cui Deus Exod. 29 ejus rei dederat mandatum, consecrantur. Èa occasione sacra Moyses operatus est, factæ ab illo unctiones, atque sanguinis ex ritu aspersiones (Cap. 8); tum et novorum sacerdotum, quos ante aram sistere jussit, oblationum in eorum consecratione victimarum partes manibus impositæ, ac demum jussu Aarone ejusque filiis totos octo dies in tabernaculo se continere, ceremonia peracta est. Aaron statim à consecratione sacrum pro suis ac filiorum criminibus operatus est; et cum alterum pararet in holocaustum, et in hostiam pacificam, ignis subito è tabernaculo egressus, victimas, spectante populo, absorpsit (Cap. 9).

Nadab et Abiu, filios Aaron, profano igni, alimde quam ex altari, accepto, thure imposito in sanctuarium ingredi audientes, erumpens subito è loco sancto flamma corripuit. Eorum funus ne pater legeret, edita Moyses lege cavet, additum etiam ut sacerdotes à vino abstineant in tabernaculo (Cap. 10). Excipit hæc omnia animalium purorum ab impuris discretio (Cap. 11); purificationis mulierum, statim à puerperio, ceremonia (Cap. 12); lepræ hominum, ædium, et vestium indicia (Cap. 13); sacrificia pro valetudine à leprâ (Cap. 14); præscriptæ ad elucendos viros qui gonorrhœa laborarent, et feminas post menstrua ceremonias (Cap. 15). Sequuntur ritus pro festo expiationis solemnibus, quo scilicet apparatu summus sacerdos in sanctuarium intrat, quo hircus emittitur (Cap. 16). Cautum est Israelitis ne alibi quam in limine tabernaculi sacrificia offerant; vetitus sanguis et morticina (Cap. 17); late pro nuptis leges, quanto nempe cognationis gradu interdiciantur. Cum exteris et Chananaicis connubia (Cap. 18) interdicta.

Hæc leges decori et sanctitati tabernaculi provident.

tes (quæ scilicet sancti loci veneratio tanta erat, ut pollutis omnis ad illum aditus præcluderetur), Deus, facto veluti omnium præcedentium legum epilogò, claudit. Repetit, v. g., de sabbati observatione, de præstandâ parentibus reverentiâ præceptum; velut iterum idololatriam, furtum, perjurium, calumniam, odium in proximis, etc. Monet ne excidentes messoribus inter metendum spicæ colligantur; sicut et messoribus injunctum, ut de industria aliquid relinquunt, quod egenis, spicilegium facientibus, cedat. Sata arboris fructus quinque prioribus annis in eilum ne adhibeantur. Cautum Israelitis, ne prostitutioni unquam et divinationi, quecumque demum ea sit, dedere se audeant. Tondendæ comæ et barbæ superstitiosus paganorum usus populo interdictus. Observent senes, comiter habeant advenas (Cap. 19). Molæ filios ne offerant; alioquin Dei vindictæ ultioni subiectos se norint. Maledicta in parentes, adulterium, nuptiæ incestæ, crimina nefanda (Cap. 20), ac tandem magiæ et divinationis professio capitalia sunt. Israelitæ omnes, ne sacerdotibus quidem exceptis, legali aliquâ maculâ polluti, à sacris Deo epulis abstant. Sub hæc Moyses victimarum vitia, quibus ad sacrificium inepte efficiuntur, singillatim recenset (Cap. 22).

Tum constituta certe per annum solemnitas, atque præscriptæ in singulas ceremonias (Cap. 23). Sunt autem Pascha, Pentecostes, festum buccinarum, expiationis et tabernaculorum. De ritu paradandi lampades candelabri aurei, sicut et imponendorum panum in mensâ aureâ plura, quæ ante posita ad Sinai castra erectumque tabernaculum præscripta fuisse facile suspicamus. Dum his sancientibus Moyses occupabatur, vir quidam in iudicium adductus est, usurpati impiè Dei nominis reus. Hunc Deus extra castra raptum lapidibus confici præcepit; latâ simul lege ut eo supplicii genere in blasphemos exinde animadverteretur. Decreta post hæc poena talionis in eos, qui proximo suo, vulnere aliquo inflicto, injuriam irrogaverint (Cap. 24). Succedunt leges in monte à Deo Moysi datæ de septimo quoque anno, nempe anno sabbatico, observando; sicut et quilibet quadragesimus nonus annus in jubileum destinatur; eo verò recurrente, decreta libertas Hebraici generis mancipiis, atque avite hereditatis ad priores dominos redeuntur. Latæ sunt in foreratores leges; additumque ut singulis Israelis redimendi fratres suos, mancipii lege captivos, facultas permitteretur (Cap. 25). Hæc omnia excipiunt minæ, quibus eorumdem sanctionum prævaricatores terrentur; ac vicissim præmia servantibus legem promissa (Cap. 26). Denique totum librum claudunt regulæ quedam circa res Deo per votum oblatas, ac decimæ, tabernaculo offerendæ (Cap. 28). Porrò si rituum illorum solus veluti cortex, et quid potissimum ad cultum tabernaculi conferant spectetur, nihil de illis magnum concipiamus oportet, ut vix in animum possimus inducere, Dominum sacris, sanguine et adipe victimarum constantibus delectari voluisse. Quantum enim victimas augetur

minus in altari, concipiamus licet sacerdotes jugi obsequio tabernaculo destinatos; tabernaculum ipsum omnibus vel minimâ legali labe infectis prohibuit; pompam etiam et magnificentiam sancti loci majorem, quam ætas illa ferret; hæc sanè omnia ideam, quam recti rerum aestimatores de cultu Domino ferendo habent, prorsus non explent. Veris criminibus expiandis majori sanè piaculo, quam victimarum sanguine, atque externis purificationibus est opus. Porrò verum sacrificium corde contrito et humiliato, voluntate rectâ, et malo affectu vacuâ, juxta Scripturæ phrasim, perficitur (1). Oblatis ab impiis sacrificiis netum Deus non delectatur; sed sepulta jam longâ oblivione eorum crimina, iterum veluti divinis oculis subjiciuntur. Oblationes justorum nunquam non Deo jucundæ, quippe quibus justitia et pietas litantur. Uno verbo verus Dei cultus probo animi sensu, atque religioso in Deum affectu perficitur. (Philo. 1. 5 de Vit. Mos.)

Idcirco Propheta, quos veluti divinos veteris legis interpretes habeamus oportet, uno omnes ore fatentur, Deum externo Judæorum cultu, quem terrenis rebus adhaerentes in tabernaculo et templo impendunt, minus tangi: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? (Isai. 1, 11, 12, 13.) Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum et hircorum, nolvi. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæscivit hæc de manibus vestris? Et alibi idem Deus per Amos 5, 21, 22: Odi, et projecti festivitatis vestras, et non capiam odorem cantuum vestrorum. Quòd si obtuleritis mihi, holocaustomata et manera vestra non suscipiam, et vota pinguium vestrorum, non respiciam. Et Jerem. 7, 21: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die, quòd eduxi eos de terrâ Egypti. Ac si diceret Deus, non ita se victimas exegisse, quasi scilicet illis sive indigeret, sive plurimum delectaretur; sed, inquit Patres, crassioris populi captivi Deus sese in illis præseribendis attemperans, gravius mali metu sacrificia permisit. Ne demoni victimas mactarent, inquit S. Chrysostomus, Deus victimas sibi mactari permisit (in Psal. 49). Pronos in malum populos, sive corde obduratos, sacrificiis sive detinendis, sive flectendis censuere Deum S. Justinus in Dialogo cum Tryphone autumavit. Eo, veluti pondere leviores animos, inquit S. Irenæus, firmavit, simulque eam luere penam voluit pro cultu aurei vituli, et affectato in Egyptum regressu (Iren. 1. 4, cap. 28). Paria apud Origenem legas; qui addit (Iliom. 7 in Num.) horum sacrarum aliam fortè latentem, et mysticam rationem habere Deum potuisse, ut scilicet eo veluti agere opposito Judæos in sacrificiis illis remoraretur, ne in perniciosa et superstitiosa demonum provolverentur; eodem scilicet artificio, quo aliqui ex venenis antidota parant. In sententiam Origenis inclinat S. Chrysostomus (adversus Iudeos), ait Deum sacrificiorum*

(1) Psalm. 50, 19: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Vide Jerem. 55, Osee 14, 2, 3, Joel. 2, 12, etc.*

multitudine detinere Hebræos voluisse, ne scilicet superstitionibus vacarent, quemadmodum sapiens medicus frigidam permitit agro febril laboranti, ne scilicet sitis desperatione ad interitum adigatur. S. Cyrillus Alexandrinus autumat, sacrificiis illis percipiendis nullam quidem necessitatem in causâ fuisse, quod ex Jeremie testimonio supra à nobis allatum demonstrat (Cyrill. Alex. 1. 5 cont. Julian.). His omnibus Patribus consonant Theodoretus (de curand. Græc. affect.), S. Hieronymus (in Ezech. 20) et sanctus Thomas (1-2, q. 102, art. 5).

Non est tamen cur ex allatâ Patrum doctrinâ mala esse omnia simul hæc sacrificia et Deo tantum tolerante, quemadmodum et malum tolerat aliquando, permisso. Deum enim habent non permittentem tantummodò, sed et auctorem, qui nempe illa consilio et auctoritate suaserit; imò et Deo jubente ad sacrificia quandoque populus cogebatur. Nonne enim Deo sancte holocausta perpetua vespere et mane constituta sunt? Nonne sita pro singulis recurrentibus sabbatis, neomeniis, solemnitatibus Paschalis, Pentecostes, expiationis et tabernaculorum? Quis, rogo, sacra pro eluendis maculis, atque expiandis, quæ imprudentibus accidissent, criminibus innoxii? Ipse Deus oblatas victimas in actionem gratiarum pro acceptis ab eo beneficiis, sive novis impletandis excipit. Ceremonias plerumque à lege præceptæ sunt, nec nisi Deo invito atque ulciscente omittantur; quæ admodum et premiis ad illas præstandas populus allecebatur.

Sacrificiorum usus jam inde à mundi exordio obtinuit. Sanctissimi quoque viri, qui et ante legem, et sub lege vixerunt, nihil antiquius habuerunt unquam, quam ut illa observantia suæ et reverentiæ tributa Deo exhiberent. Celebrantur in Scripturâ sacrificia Abelis, Noe, Abrahami, Melchisedech, Jobi, Jacob et Isaac, quæ sanè tantummodò Deum tolerasse vix erudimus, cum et præcepto injunxerit non raro, atque reciperet se illa non obscuris indicis, veluti missis de celo victimis assumendis igne, demonstraverit. Noque Prophætæ in sacrificia quidquam, sed in eorum abusum invecit sunt, Judæorum persuasionem reprehendentes, qui solis externis ceremoniis fidentes, legis interim maxima præcepta, amorem nempe Dei et proximi, sicut majora hominis in Deum officia, negligerent. *Si voluisset sacrificium, ait David, dedissem utique; holocaustis non delectaberis (Ps. 50, 18). Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Et alibi (Ps. 59, 7, 8): Sacrificium et oblationem noluitis, cures autem (ad te auscultandum) perficisti mihi. Holocaustum pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio; nempe cum me invitares. Et alibi Deus in hæc verba loquitur: Non accipiam de domo tuâ vitulos (Ps. 49, 9), neque de gregebus tuis hircos, quoniam meo sunt omnes (Ier. sylvarum). Hæc igitur, ait Deus, ex te quero: Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*

Vetus quidam auctor apud S. Augustinum, duo esse sacrarum genera in V. T. observat; alterum nempe in lege præceptum, alterum quod singulorum religioni

implendum pro arbitrio relinquatur (Apud August. quæst. ex utroq. Testam. quæst. 105). Deus igitur, inquit, libera sacrificia nunquam ab Israelitis exegit; quare integrum illis erat, si nulla offerre voluissent: Si verò aliqua offerre mallet, ratio ab illis erat habenda Dei, cui litatum accedebant; neque committendum, ut victimas, quæ ad manum venissent, nullâ factâ discretionem offerant. Sacra enim illa non litando quidem Deo, sed in ultionem instigando valebant; quare apud Malachiam queritur (Malach. 1, 8): *Si offeratis cœcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, et languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut susceperit faciem tuam, dicit Dominus.*

Cur autem potissimum à sacris illis Judæorum Deus abhorreret, cordis non recti habitudo in causâ fuit. Omnes enim externo cultui, atque sensibilibus ceremoniis impendendis intenti, soli justitiæ suæ fidebant; quibus interim Deo potissimum litarent, sacrificia negligentes, puri nempe cordis et innocenti spirituales victimas. Quod cortex erat et extimum Religionis, id maximè Judei curabant, umbram et figuram veritati ipsi et archetypo præferentes. Vetera sacrificia Messia: sacrificio præludebant (1). *Celebrabant figuram futuræ rei multi scientes, sed plures ignorantes.* Quot verò erant, qui hoc figuratum arcanum nossent? Ad tempus præscripta sacrificia illa ad alteram hostiam et sacrificium deducebant, tanquam via essent et preparatio ad illud, à quo sanè dignitate et præstantiâ vincerentur. Scitè S. Irenæus (L. 4, cap. 28): *Lex et disciplina erat illis, et propheta futurorum.*

Quemadmodum igitur litteræ, figure, et umbra plus nimis adhrere, neglectâ interim veritate, rationi absonum fuisset, ita jure meritoque Scriptura, et Patres cum sibi de ritibus Judaicis agendum proponerent, carnalium Hebræorum caeremonias, non contempserunt

(1) Aug. cont. Faust. l. 20, c. 18: *In victimis percurat, quas offerrebat Deo, sicuti se tantâ dignum erant, prophetiam celebrabant futura victimæ quam Christus obtulit.* Idem in Ps. 59, 7.

## DE NATURA, CAUSIS

ET EFFECTIBUS LEPRÆ, ETC.,

### Dissertatio.

Prælectis nec incuriosè, his quæ de leprâ, cujus est apud Moysen sermo, interpretes disseruerunt, nihil quod expectationem eâ de re nostram impleat, deprehendisse mihi visi sunt. Peritissimi inter illos ea deduxisse contenti, quæ apud medicos et philosophos traduntur, factâ eorum cum Moisaicis collatione, quid potissimum differant, et in quo maximè ambe hæ nar-

rationes conveniant, legentibus exhibent. Reliqui verbis textûs Moisaici tantum inherentes, de aliâ planè quàm vulgari leprâ sermonem esse in S. Scripturâ autumârunt. Nec desunt ex Rabbini quidam, qui saltem lepram vestium et ædium à Deo vindicæ in Israelitis, infidelitatis et murmuris reos, prodigio immensus suspicantur (Maimon. Gerund., Rocanati, Sephardi opud

tantum veluti inutiles, sed reprehendisse tanquam noxias visi sunt; illud interim addentes, Deum nonnisi invitum, et pervicacis Judæorum aliquid indulgere volentem, ea sacrificia tolerasse. Si quis verò alio aspectu considerandam sibi legem proponat, eum sanè summo illam honore dignam habiturum credimus. Legem duplici aspectu considerandam proponit, post verò secundum spiritum pronuntiatur est: *Scimus quia lex spiritualis est* (Rom. 7, 14). Hinc Apostolus docet: *Littera occidit; spiritus autem vivificat* (2 Cor. 3, 6).  
Quamvis itaque ritus, et sacra Judæorum, juxta corticem spectata, neque Deo placere unquam, neque Judæis servili præcepta illa animo obeuntibus justitiam promereri potuissent; quamvis majestatem et sanctitatem Dei inferiora essent ad eum et neque ipse præcipere, sive voluptate ab illis aliqua afflicti potuisset; in eâ tamen, quam sibi statuerat, ideâ, systema scilicet Religionis apud crassiorem et carnealem populum statuendi, sicut et viam perfectiori ac sanctiori Religioni præstruendi, nihil ejus consilio conduxerat magis quàm ut externas illas caeremonias et ritus inveheret, quorum indicio Religionis illius (quod unicè cordi habebat Deus) in cognitionem mortales venirent. Sic enim semper Deus, et Filii sui sacrificium, et legem novæ veritatem sibi ante oculos præstituit, ita planè et legis veteris præcepta, et sacra ritusque omnes injunxisse par erat, quibus ad finem intentum via instrueretur. Externæ illæ Moisaicæ ceremonie futuris indispensabili necessitate præludebant: quam quidem figuram non attendentes Judæi, in eo potissimum errârunt: pro solâ nimirum veritate accessorium et umbram secuti, atque legis fine neglecto ipsam tantum legem sectati: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum... nunquam potest accedentes perfectos facere* (Hebr. 10, 4).

rationes conveniant, legentibus exhibent. Reliqui verbis textûs Moisaici tantum inherentes, de aliâ planè quàm vulgari leprâ sermonem esse in S. Scripturâ autumârunt. Nec desunt ex Rabbini quidam, qui saltem lepram vestium et ædium à Deo vindicæ in Israelitis, infidelitatis et murmuris reos, prodigio immensus suspicantur (Maimon., Gerund., Rocanati, Sephardi opud

Munster): quorum sententiam Patres nonnulli (Theodoret. q. 18) et commentatores probasse suffragio suo visi sunt.

D. Clericus in dissertatione de hoc argumento reputasse visus est, lepram morbum inter eos habendum, quos statim quibusdam temporibus, vel in certa quædam regna, Dei providentia immittit. Satis enim superque scitum est, genera esse quædam morborum nostrâ ætate, quorum nulla fuit apud veteres cognitio, nec potest variantis interdum naturæ ratio ulla assignari.

Hippocratis auctoritas (*lib. de Affection.*), qui lepram non morbum quidem, sed corporis vitium esse asseruerat, plerisque post illum scriptores longè multos in eam sententiam pertraxit, ut lepram de quâ in utroque Testamento, vitiliginem quandam, non tractandam ut morbum, sed repurgandam ut sordes, fuisse suspicarentur. Quod item probans Arnobius de Christo leprosum mundantem ait (*Arnob. l. 1*): *Notas albicantium vitiliginum manu adnotâ detexit.* Eo etiam spectans Turnebus (*Turneb. l. 13, c. 21*), leprosus Evangelii maculis quibusdam vitiatam habuisse cœtem autumavit; Theodoros Beza (*in Math. 8*) aliam fuisse lepram censet, quàm Græcorum elephantiâsim, morbum planè pervicacem, de quo apud scriptores frequenter.

Alii verò (*Gloss. Cyrilli*) ipsissimam elephantiâsim, que lepræ genus est perniciosissimum, in S. Scripturâ designatam maluit. Alii nostræ ætatis scriptores in leprâ veterem, ipsum, quem nos Gallicum morbum, inveteratum agnoscent; quod D. Tournefortius, leprosum in suis itineribus oculato teste, visum est. Ex eo morbo vulgaribus remediis rari quidem convalescent; tabescent plerique, quod humores peccantes corporis harmoniam prorsus corrumpunt. Sanè lepram morbum esse, à quo sibi omnes summo perè semper caveantur, ambiguit nemo: ut ne commune quidem leprosum cum cæteris fuisse sepulcrum ex S. Scripturâ intelligamus (2 Par. 26, 23).

Hanc opinionem discrepantem ex eo facili inrehi potuisse credimus, quod nec textus Moisaicus sedulo examinatus subjectus fuerit, nec satis cum Græcorum auctorum eâ de re sententiis collatus. Quemadmodum enim Moysen non unius tantum lepræ genus complexum fuisse constat, ita quoque nullum ejus morbi remedium indicavit, regulas tantum constituisse contentus, quibus virulenta atque contagiosa lepra ab aliâ purâ, cui virulentum et contagiosum nihil, distingueretur. Hæc datâ occasione, corporis etiam alia vitia prescribit, quæ lepræ quidem speciem, sed non virus referunt. Nec præterire oportet in Scripturâ ac in Vulgatâ potissimum, frequenter contingere, ut leprâ nomine non morbus ipse, sed morbi præludia et dispositiones, vel saltem indicia morbi, quibus suspicio ingeritur, designentur. Scitum est tandem, apud Moysen lepram quandam ædium et vestium occurrere, de quâ alium apud auctores cæteros silentium. Ex quibus omnibus pronum est colligamus, vocem illam Hebræam *Zorac* latius multo quàm Græcum et Latinum

lepra patere; quare in re fore censemus, si exactam de variis significacionibus hujus Hebrææ vocis ideam antea exhibeamus, quam quibusdam de leprâ, cujus in Scripturâ sermo, disseratur. Moyses, Levit. 13, varia percurret incommoda quæ ad lepram referri aliâ saltem ratione videntur. Primò igitur indicia nonnulla, quibus suspicio morbi ingeritur, designat. Omnia primum, tumor extimus (*Schoet*); alterum, pustula (*Sopahat*) vel tiens; succedit albens et candens, vel etiam rubescens macula; nam rubescens macula quandoque luccens et candens appellatur (*Levanah adamamet*). Omnia hæc indicia sunt, quibus justa lepræ suspicio inducitur. Ut autem rei veritas attingeretur, leprosus coram sacerdotibus se sistens, certo quodam in loco 7 vel 14 diebus clausus detinebatur; quo scilicet eo temporis spatio morbus explicare se, atque certis indicibus deprehendi potuisset. Hæc indicia 1<sup>o</sup> albens, rubescens, et luccens in pelle macula; 2<sup>o</sup> pili eo loco palentes, et rufi; 3<sup>o</sup> locus pro reliquâ cute humilior.

Albescens macula, si nihil haberet reliqui, minor erat quàm ut lepram indicaret; si crevisset, statim leprosum prædebat. Macule ille interdum s. abies erant (*Levit. 13, 6*); interdum rubor quidam pellem vitans. Cum totum corpus albo quodam nitore à capite usque ad pedes candesceret, lepra erat mundissima, ait Moyses (*Ibid. vers. 12, 13*). Cum verò totam pellis faciem pustulae albescentes fedarent (*Ibid. vers. 10, 15*), atque pustula viva caro subesset, itaque pili circa illas nativum colorem in album transmutassent, lepræ vetustissimæ indicium erant appetissimum.

Si fortè cicatrix ex vulnere seu combustione albo quodam tumore, sive maculâ albescenti, lucida sive rubescenti obducceretur, tum verò reliquæ eute locus esset depressor atque pili pallescentes, lepram hæc omnia certissimam indicabant (*Levit. 13, 19, 20, 21*). Tandem si quis in capite viri vel femine locus depressor occurreret, ibique crines colorem immutassent, lepræ statim indicium pronuntiabatur (*vers. 29, 30*). Si verò de leprâ suspicio tantum haberetur, statim pili omnes novaculâ radabantur, excepto morbi loco; tum septem dierum experimentum capiebatur. Eo temporis spatio aucta in nequus macula certum lepræ suborientis indicium prædebat, nihil de colore comæ habitâ ratione (*Vers. 34, 35, 36*). Macule atuentes, seu rubescentes, atque reliquæ cute lucidiores, si quæ in calvo capite deprehenderentur lepræ non obscurum dabant indicium (*Ibid. vers. 42, 43*).

Hæc de leprâ hominum Moyses, ex quibus certa lepræ indicia quinque colliguntur: 1<sup>o</sup> albens in cute macula, cui et locus depressor et pili in flavum sive rufum mutati antecedeant. 2<sup>o</sup> Pustula in cute dispersæ rubescentes in basi, atque ex vivâ carne suborientes; quod vetustissimæ lepræ indicium erat. 3<sup>o</sup> Tumor albus luccens, sive rufus in cicatrice, reliquo corpore humiliori; cui in alburno mutati pili accederent. 4<sup>o</sup> In capite locus depressor, atque crines in flavum mutati. 5<sup>o</sup> In calvo capite alba sive rufa macula.

Tria lepræ, vitiliginis, genera Celsus distinguit

(*Col. l. 5, cap. 28, § 17*). Harum prima albam appellat, Græcè *alphon*, albam nempo, quòd alba macula in cute hominum efficiatur; sive potius albescentibus guttis consistit, quibus tota pellis non continua reddatur, et aspera. Interdum non una est macula, sed plures; interdum latius serpunt, atque augentur. Alterum lepræ genus nigram appellat, colore tantum à priori diversum. Tertium tandem *leucon*, seu album; priori altius imprimatur, atque difficilius curatur. Pilos in locis corporis lepræ affectis albo efficit, tenues et lanugini similes. Nec difficile tantum, sed ferè nunquam totum curatur; atque pellis eo morbo semel infecta, nativo colori nunquam restituitur. Porrò macula illæ albescentes, quas supra ex Moysè adduximus (*Levit. c. 13*), ad primum lepræ à Celso descriptæ genus referri possunt; pustule vivæ (*vers. 10, 13*) carni inherentes, ad tertium Celsicæ lepræ genus, quò etiam spectat et lepræ cicatrices afficiens (*vers. 19, 20, 14*).

Quod autem ad lepram illam Mosaicam spectat, tumore constantem albo, in basi rubro, et ad basin vivâ carne ad elephantiasim, lepræ genus perniciosissimum, referri posse credimus. Ejus morbi veneno caro asperatur, inæqualis veluti corium elephantis efficitur, cutem abrodens, pruritu est molestissimo. Squammis tota caro obducitur instar piscis, scætat ulceribus, veterosis illis atque pluribus in unum coeuntibus. Is verò stupor carni inducitur, ut ubi maxime sensum vis explicatur compuncta caro, nullo doloris sensu afficiatur. Pili totius corporis breviores efficiuntur, tenues, rigentes, qui si avellantur, unâ secum trahunt carnem corruptam, cujus aluntur sanie; avulsos verò si iterum suboriri contigerit, in capite et mento flavi nascuntur.

Lepræ adultæ jam, sicut etiam inveteratæ, indicia hæc potissimum à medicis assignata: si vox asperetur, velut canis post diuinam latrationem, è naribus potius quam è labiis expressa; si pulsus debilis, gravis, lentus fuerit et intricatus; si sanguis proderit granis quibusdam veluti milliacis albenibus et lucidis admixtus; ad hæc scabiosâ quâdam serositate viscidus, nativo verò humore ita destitutus, ut nec sal impositum dissolvat, insuper crescit adeo, ut cum aceto obulliat; sicut et cæcis quibusdam filamentis tota ejusdem massa firmissimè constringitur ne calcinato plumbo permeabilis; si urina appareat cruda, tenuis, cinerea et turbida, quæ rubsidentem in imo fundo furraceam farinam demittat. Leprosi vultus instar languescens carbonis uinctoso quodam luore nitens inflatusque rigentibus, quibusdam tumoribus virescenti base et albescenti acmine disseminatur. Fronte est amplis rugis ad utraque tempora protensis sulcata. Oculi prominentes, rigentesque, rubrum quemdam nitorem ac fulgorem instar felis emittunt. Aures tumentes et rubræ, ulceribus ad basin depascuntur; ulcera verò glandulæ ambiunt. Nasus abrasâ vel putrescenti cartilagine sinus efficitur; nares hiantes, meatus verò obducti, et in imo fundo ulcerosi. Lingua ardescens, inflata, ulcrosa, hircula, contracta, alben-

tibus licet granulis disseminata, nigrescit. Pelle tandem tegitur inæquali, ruidâ et stupidâ, quæ si pungatur abscondaturque, pro sanguine sanie quamdam reddit, nec raro aquâ licet persusâ ne madescit quidem. Eo morbo affectos vehementi adeo calore æstare ferunt, ut recens pomum per horam in manu tenentes, rugosum et arens velut octo solidis diebus ad solem expositum reddant. Tandem nasus, digitum manuum et pedum, et reliqua membra à reliquo corpore ultrâ avulsa morte suâ morti totius hominis præcludunt. Quem morbus iste pessimus causat, pruritus adeo violentus est, ut leprosus non leniter tantum carnem scalpere, sed ulceribus etiam fulcare corpus, non citra vulnenum perniciosas inflammationes, cogatur.

Ferunt etiam lepram illam diu ante interiora depascere, quam in externum prodeat; eamque Avicennas morbum seu canerum universalem appellat. Sunt qui varios in pustulis leprosum colorem ad variam temperamenti et humorum cum sanguine harmoniam referant. Rubentes sanguine efficiuntur melancholico et viscido, albescentes admixtione pituitæ viscidæ, salsæ, nitrosæ, acris, cum sanguine melancholico. Reliquia peiores sunt ex acrimoniâ, et igniti humorum qualitate; ex his vermes et contagiosum quoddam virus faciliè in adstantes transfundendum inducitur. Parentum morbus cum sanguine in filios transfunditur. Ejus inducendi morbi causam ferunt menstruorum sive hemorrhoidium cessationem, sicut et minorem in cibis delectum. Ex his omnibus, quantum arbitror, satis intelligimus, lepram adultam non malam tantomodo corporis habitudinem, sed reapse incommodum noxiisque morbum haberi oportere.

Notissimus est autem in Oriente morbus, cujus nomen elephantiasis. *Ægyptiis* peculiarem esse Lucretius affirmat (*Lucret. l. 6*):

*Est elephas morbus, qui præter flumina Nilii*

*Gignitur, Ægypto in mediâ neque præter ea usquæ.*

Et Plinius (*Plin. l. 26, c. 1*): *Ægypti peculiare hoc malum; tum addit contagiosas quasdam vitilignes Romæ apud optimates grassantes, nonnisi à medicis Ægyptiis, quæ in regione frequens est morbus, curatas fuisse. Quod ad lepram elephantiasim attinet, ignotus erat ante Pompeii ætatem morbus, nec diutius serpsit. Inuentis ejus agritudinis crepundia primo in vultu conspiciuntur, ubi lentacula quedam subito in naribus oborta ac paulatim sese per totum corpus explicans, variis aspersam maculis, inæqualem, asperam, crassiorem hinc inde pellem efficit; tandem caro nigrescit; ac tandem ossium nuda protegit. Dignitatem interim pedum manuumque tumescunt. Eo morbo si quando Ægypti reges corripit contigisset, balnea ex recenti casorum infantum sanguine adhibebant.*

Prosper Alpinus (*de Medic. Ægypt. l. 1, ap. 13*) observat elephantiasim, quo morbi genere potissimum pedes afficiuntur, vulgarem esse in Ægypto luem. Peculiarem quemdam Phœnicium morbum (lepræ genus est) Hippocrates (*Hippocr. l. 2 Porrethi*) et Galenus (*Glasæ Galeni*) notaverunt, et quantum ex

descriptione Hippocratis assequimur, albescentis lepræ morbus ab illis designatus est. Apud recentiores quosdam medicos mentio occurrit lepræ ejuisdem Thyriæ (*Guido Cautiæ*). Leprosos quosdam vidisse in Palestina Mandrellus testatur (*Mandrel, Voyage d'Alep à Jérusalem*). Eo morbo affectis pedes veluti elephantis redduntur, vel quorum pedes vernes abrosent; imbecut coxæ, et sensu licet doloris destituta, pedibus tamen gradiendi officium præstare negant.

Veteres quidam (*Appio apud Joseph. l. 1 c. Appion.*) narrant Hebræos eo morbo correptos, ex Ægypto extorres actos fuisse. Tacito et Justino impositum est, ut fabellis hisce ab invidis Ægyptiis in Judæos sparsis crudelitatem suam addicerent; sed à Josepho solidè calumnia refutatur, scitèque admodum observat nunquam commissurum fuisse Moysen, ut leges contra leprosum conderet, si leprosum ipse populum et exercitum habuisset. Jesu Christi ætate frequentes erant in Judæa leprosi; nec raros in Arabiâ fuisse Avicennas est auctor (*Avicen. l. 5, Sen. 7, Tract. 2, c. 9*). Persæ, juxta Herodotum et Ctesiam (*Ita Ctesias in excerpt. Photii apud Henric. Steph. et Herod.*), leprosos omnes gentis suæ ab omni cum civibus commercio, quin et ab urbium suarum ingressu interdiebant. Induci morbum autumabant in penam violati, quem numinis loco habebant, solis. Advenæ hospitio apud leprosum recepti solum vertere cogebantur.

Sæculo undecimo, duodecimo, ceterisque subsequentiis, frequens habebatur in Europâ morbus, quem ex Judæorum frequentia et consortio inductum aliqui suspiciant. Alii verò malam mercem ex variis expeditionibus Cruce signatorum in Syriam comportatam contendunt. Porrò leprosos appellabant ladros, iisque curandis magno numero excitata xenodochia, ladretrie dicta. Ex hisce pio usui constructis adibus ad 19,000 per Europam numerat Matthæus Parisius. Ne autem virus contagione diffunderetur, apposito signo leprosi à ceteris distinguerentur: quin et à communi consortio discreti degere, nec raro sive crepitaculis monere populum, sive cado quodam in humeris delato morbi sui indicium exhibere jussi sunt. Porrigo lepræ genus est, caput afficiens; nam squammis, et crustis cinereis, flavescensibus quandoque totum obducitur, odorem simul fetidum et cadaverosum exhalans. Hanc faciliè lepram Moyses insinuat nomine lepræ, comæ, barbæ, tum et morbi illius, quo canum caput corripitur. Pauca quidem ex lepræ incommodis Moyses recenset; qui et ea tantum attingit, quæ discernendo huic morbo à ceteris, indicium certissimum sacerdotibus, quibus ea demandata cura, præbebant. Porrò lepræ morbum indicat tumor quidam albescentis, qui et paulatim augetur, et carnem simul eo loco depressiorem reddit. Nec obscurum ejus signum exhibet color albescentis et pallidus quo pili, ubi vitiatum est corpus, inficiuntur.

Impetigines quali imminente lepram præcurrere, primumque mortis agmen ducere videntur. Primò sola pellis inæqualitas, atque lenis quidam pruritus corpus

afficit, deinde aucta omnia pellis tota albedine quidam instar farinæ inficitur; nec mora statim lepra succedit, cum scilicet albedo in crustas et squamas, piscium squamas referentes, degenerat. Noxiùm quoddam impetiginum genus apud Romanos innotuit, quòd *mentagram* appellârit. Ignotum fuisse morbum illum ante Tiberium Plinius affirmat; veneno autem erat adeo pernicioso, ut solo osculo, vel tactu contraheretur. Prima suborientis morbi signa in vultu, deinde in collo, pectore et manibus; tandem tota corporis facies furraceo quodam colore inficiatur. Quare Moysen, alborem quemdam in corpore subito exortum sedulo observari, an scilicet morbus augetur, ipsius ægrofi reclusionem præcipientem, impetiginum incommodum præ oculis habuisse ne ambigimus quidem.

Decursus lepræ indicis et effectibus, modò ad causas ejus morbi animùm adjuvamus oportet. Igitur ex medicorum doctrinâ impetigines, scabies, lepra ex lite et discordiâ contrariorum humorum, accedente sanguine melancholico, viscido, copioso, pingui, acri, prorumpunt: hisce enim peccantibus humoribus, abrasa pellis pruritu causat molestissimum, nullis fricationibus leniendum. Faciliè verò, iisdem medicis actoribus, de patre in filium cum sanguine ipso transfunditur; nec modicè morbo contrahendo conduci sive minor in cibis delectus, sive minor in ratione utendorum ciborum cautio, sive tandem corporis, humorum, seris, cubilium, vestium mala qualitas et habitudo. Sed ut vera fatear, hæc de lepræ causis medicorum observationes imparæ ad conceptam de illâ ideam explicandam videntur; vix enim in animùm induco, qui fieri possit, ut mera atque interna humorum corruptio morbum efficiat, cujus tam promptâ et facili contagione virus communicetur; simulque prima ejus et apertissima indicia in extremâ corporis parte conspiciantur. Quæ sanè proportio et analogia inter hominum lepram his derivatam fontibus, et lepram vestium ac domorum, ut idem utriusque nomen, et paria ferè indicia quadrent? Novum igitur ejus rei systema proponam, quo rationem me inturum confido physicam et mechanicam, omnia à Moysè tradita de leprâ hominum, vestium, et domorum, per generales et communes rerum notiones explicandi.

De leprâ igitur iisque omnibus, quæ ad lepram aliquâ ratione referri videntur, ut *psora*, *alopecia*, *porrigine*, *elephantiasis*, *mentagra*, *lichenæ*, etc., quin et de omnibus morbis, quibus animalium cutis affecta abroditur, venenoque contagioso, pruritu violento, pilis atro colore infertis, corpus deglabratur, ac tandem stupor in membris inducitur, de his, inquam, omnibus id constituo, vermiculos scilicet, aspectum fugientes, inter carnem et pellem primò sese insinuantes, epidermem et cuticulam, et tum nervorum filamenta, ac tandem carnem depascere; ex quibus effectus omnis ineuntis, adulti, et inveterati jam morbi faciliè inducuntur. Porrò rari occurrunt homines sine constantis, sive affectæ sanitatis, à vermium contagione immunes; singula enim hominum et brutorum corpora, per hæ-

bitum et alimenta admissa vermiculorum semina nativo calore foveant. Namque aer, quem halitu trahimus, fructus plerique, quibus innutrimur, insectis sciant, qui calore corporum animalium foeti carni adherent, innutritur, ac propagatione tandem crescant. Res etiam omnes, que nos ambiunt, quorum ministerio utimur, vermium sæpe scatebræ sunt et nidus, quibus veluti latrunculis incautos nos adorientibus, miserè fœdèque depopulamur.

Novis medicorum observationibus, quibus ope microscopii novus tenuissimorum insectorum aspectus ingentium mundus innotuit, instrumitur, sua singulis corporibus esse, ab aliis diversa, insectorum genera, in variis variis corporibus veluti in sua quæque patriâ regnantia. Hisce incolis æra, pisces, arbores, lapides, panni mortaria, vitrum ac solidissima quæque coluntur. Homines frequentantur præ cæteris, quorum nulla fermè corporis pars à vermibus vacat, non intestina, non cerebrum, non jecur, cor, sanguis, vesica, umbilicus, ulcera, pelvis: quin et totum denique corpus post obitum in vermes abire, sicut et vermiculari morbo intrare plures infantes et adultos constat.

Adolescentibus atque infantibus potissimum limbriculi familiares sunt; est autem vermium genus rotundum, albens, è variis pelvis partibus, et è manibus potissimum scæntes. Porro vermes illi inter carnem et pellem insinuantur sese, et carnem deaspercent, pruritum causant molestissimum. Alii sunt etiam infansibus vermes, *erino* Galli appellant, qui pellem suffodientes eos pueros incommode afficiunt, ut cibo quidem et somno relicti, proficere verò quidquam non sinant. Horum figura oculorum judicio brevem raderetque crimen vel setam nullam exhibet, cum scilicet loci calor et mellis adfrictus vermes illos in lucem extruserint. Oculis microscopio instructis cernuntur; colore sunt cinereo, longioribus cornibus, amplis oculis et rotundis, caudâ oblongâ et in extremitate villosâ. Plerumque musculosas dorsi, scapularum, surarum partes infestant, pruritumque fixum in epidermi, clamores, vigilas, agitationem in pueris inducunt. Huic incommode infirmiores et delicatuli infantes potissimum obnoxii sunt. Figuram autem utriusque, de quibus egimus, infecti, qualis per microscopium cernitur, videtur ære incisam in Aëdis eruditorem Lipsiensis.

Febres, quæ putridas vocant, ex vermibus, et eâ, quam appellant putredatione animatâ plures accerunt; ex putri enim massa, inquit, ebulliens vermium turba totum excurret corpus, aculeis suis carnem transfodientes, eaque omnia inducentes incommode, quæ in fibras cernimus. Vermibus scætere variolorum pustulas ope microscopii Berillus deprehendit; sicut et Petrus à Castro in luc Napolitanâ bubones contagiosos vermium fuisse scætrhas oculatus testis affirmavit.

Quid cancer morbus? Nonne vermes sunt, qui è morticino ulcere ebullientes, novos ex se fetus emitere, novas corrumpere partes nunquam desistunt? Quid pesis? nisi venenum seu insecta quedam, juxta

nonnullorum medicorum doctrinam, per aera diffusa, quæ per canalem respirations in animalia sese insinuare, totumque corpus, sanguinem, nervos, partes solidas turbare noverunt? Hanc invenerunt rationem physici recedentes, ut epidemicorum morborum contagione explicarent; rati nimirum ex bubonibus contagiosis insecta quedam aliis instructa in circumfusum aërem erumpere, quæ adstantes dum invadunt, insecto simul morbo occidunt. Hæc exactissimis experimentis comperisse se sanctè affirmant.

Prosper Alpinus (lib. 1, cap. 14 de Medic. Egypti), qui Ægyptios morbos sedulo examine discessit, autumat lepram, quo morbi genere plures è fœce homines afficiuntur, ex eo potissimum inductam, quod putrescentibus et corruptis aquis in potum utuntur, vident verò carnis boum, camelis, sicut et piscium sale maceratis jam computrescentibus, quos lacunosas quedam aquæ sufficiunt; nec modicè conferre ad hunc illam alendam censet corruptum quedam et sale maceratum caseum, cujus vilissimam præfatum egenos quosque homines invitat.

Quæ cum ita sint, validum pro veritate nostri systematis argumentum deducitur; quemadmodum enim variâ hæc morborum genera ad unam eandemque vermium causam referenda sunt, ita planè lepram à vermibus repetere non incongruum arbitramur. Sed, ut rem in apertam veritatis lucem ponamus, ejus morbi effectus omnes ex eadem causâ commodè derivari posse demonstrandum suscipimus.

Lepræ morbus, ex medicorum doctrinâ, non totum simul hominem corripit, sed pedetentim gliscens, ad eum morbi statum evadit, cujus indolem virulentam latè supra descripsimus. Primò leniter affecta pelvis ægrotum vellicat, hinc scæpèndi pruritus, ex quo ulcera, unguibus namque discissa caro prociacem ad interiora manum invitat. Inducta inde vulneribus cruste et squama totam corporis faciem obducunt. His autem squamis alendis fluens purulentus humoris vena aperitur, quæ veteribus non sine dolore è corpore decidentibus, in novas crustas concresecit. Antequam morbus ad ultimam desperationem deveniens medicas manus recuset, pustulas refert albentes, inæquales, lincidas, et albâ cuspidè, rubenti sive albenti basi, quibus totum corpus disseminat. Omnia sanè hæc nostro systemati quadrant.

Namque subtiles illi vermiculi in epidermem irrepentes, factâ sibi per illam viâ ad cuticulam penetrant, eamque, quæ tactis sedes est, aculeis appetentes pruritum causant molestissimum. Hinc aperto sibi ad interiora aditu, glandulas papillares sub cuticulâ delitescentes aggrediuntur; ex quo fervescere humores atque in pustulas illas albenti cæcamine, rubrique basi ebullire contingit. Hisce alendis pustulis humor è glandibus stillat perpetuus, et pro vario ægroti temperamento sive bilioso, sive sanguineo, sive melancholico, varius inde etiam pustularum color, sicut et lepræ genera à medicis distincta. Affecte carnis color immutatur, pili tenuiores et flavi redduntur, superficies, quæ lepræ subest, deprimitur; ac tandem cont-

giosis eo morbo nihil est. Hæc omnia prona sunt; carum enim deaspercent vermiculi id efficiunt, ne sanguine ultra et humoribus vegetetur: quare deperasti illa facilis, reparari difficilis; hinc pili ex glandulis corruptis et abrosis difficile humorem trahentes colore efficiuntur pallenti, et languescunt, veluti planta in arido et petroso solo.

Cum autem vermes motu sint, aviditate et numero ultra fidem, hinc facile ex uno in aliud corpus transmeant; quare validum vegetumque virum adorti, pruritum statim excitant, salvis interea omnibus manentibus, ac sanguinis et humorum œconomia ne minimum quidem turbata. Sed brevis hæc rerum tranquillitas; namque insecta illa cum primùm ad glandulas penetraverint, omnia turbant, caro statim squammis et crustis obducitur, sanies undique stillat. Fluus purulenti humoris materiam suppeditant capillares quedam venæ, quarum abrasa à vermibus ora jugem stillant serum, in sanem et squamas concresecens. Porro sanguinem melancholicum, pigrum, acrem, viscidum etc., lepræ causam et originem esse vix mihi persuaserim; cur enim aliquis non eodem sanguinis et humorum dispositiones in omnibus, in quibus prima suborientis morbi prætidia deprehenderentur? Paria etiam animadvertentur in illis qui morbum contagione contrahunt, nisi id maluerimus, noxias sanguinis qualitates unâ cum morbo transmitti. Hæc autem omnia neque in animum inducere possumus, atque ne inducamus experientia ipsâ cogimur, quippe quæ contagione quidem contrahi morbum demonstrat, quantum nihil primò de notâ sanguinis œconomia immutatam apparet. Fateor quidem non defuisse medicos, qui interiora prius deasperere morbum quam in externum predeat, suspicauerunt, sed mallem opinionis suæ certiora ab illis argumenta offerri.

Tantùm profectò abest ut sanguis ille viscidus, etc., lepram inducat, ut potius à leprâ ipse induci videatur. Sanguinem enim melancholicum vitiatum, indigestum, ac malè excoctus chymus efficit; indigestum chymum reddit tenuis stomachi et sanguinis calor; quæ planè omnia ex defectu spirituum vitalium et admixtione humoris viscidi, crassioris, lenti, terrestris, derivata scimus. Porro hæc omnia in nostrâ hypothesi plana sunt, et ultrò sequuntur. Morbum hunc cancrum esse universalem ex Avicennâ supra animadvertimus; quare sicut in canero totius morbi origo ex corruptione glandule, cujus turbati œconomiam contingit, reperitur; corrupta enim in glandula diutius retenti humores, et fermentari inter se, accrescere, simulque corrumpi coguntur, ex quo in venenum mordax transmutati, virus in partes ulceri proximas inferunt. Cum autem humor iste acer ope circulationis in vasa reducatur, primò quidem tenem efficit alterationem; sed brevi vim suam exerens, totam sanguinis massam corrumpit; ut ab eo pernicioso morbo convalescendi vix alterum suppetat remediùm, quam, ut resectis morbo affectis partibus noxia sanguinis et humorum quantitas corrigatur.

In leprâ tamen sicuti vis morbi major, ita latior cot-

rumpit; omnes enim corporis partes leprâ affectæ, vermium scænt, eandemque referunt acris humoris impugnantem, quam supra in canero animadvertimus. Semel autem turbatâ œconomia glandularum, quæ per totam corporis faciem infra cuticulam disseminat; sicut et arteris, nervis, venis, vasis lymphaticis, ex quibus constitute glandule, corruptis, sive loco submotis, facile humores accrescere, atque fermentari contingit. Cum autem humores illi ita affecti ad cor et ad sanguinis massam per circulationem delati fuerint, nihil inperurbatum relinquunt; nec modicum ad eam confusionem augendam conferre potest chymus malè excoctus, et digestus defectu caloris, qui patentibus totius corporis poris, unde vitalis humor effluit, vel totus evaporat, vel alimento carens extinguitur. Ad hæc sanguinis, inter fluendum, contracta serositates, et falsi illi humores, qui per sudorem diffunduntur, simulque fulgines, cum per apertos à naturâ meatus emitti non possint, sanguinem ipsam acriorem, crassiorem, sequirentemque efficiunt. Accidere etiam potest, ut sanguinis calor, contrariis planè causis, veluti insuetâ et violentâ fermentatione augendam conferre plus nimio actus, in toto corpore vehementem illam humorum conturbationem, qualem lepræ adscripsimus, inducat. Ex his omnibus facile intelligimus, primam lepræ originem ad vitiatam quidem corporis et sanguinis habitudinem ita referri potest, ut propior et immediata causa ex vermiculis epidermim, pellem, glandulas et carnem deaspercentibus deducatur. His enim accepta referuntur totus sanguinis corruptio, calor vitiosus, omnia tandem lepræ symptomata, ac tanta morbi pervicacia, quæ vix ac ne vix quidem morbo jam veterescente medicaminum vi remediatur.

Morbus iste in nostris regionibus sicut et in septentrionalibus rarior, sub climatibus fervidioribus, et in Oriente frequentior est, ubi insecta illa sive copiâ seu vividiori ad nocendum virtute magis pollent. Mala vestium, cubilium, domorum habitudo plurimum alendo morbo confert, sicut et leprosum multitudine morbi contagione lepram propagat. Hinc cautiones illæ à Moysè prescriptæ, ut à communi convictis leprosi arcerentur, ut sordes omnes suo balneoorum detergerentur; sordibus enim, ut jam innuimus, morbus gaudet. Vestium lepram, de qua Moyses, multò difficilior assequeremur, variantibus maxime eâ de re veriorum sententis. Rabbini nonnulli (Mosi Bar-Nachman) placuit, divino tantum prodigio lepram vestium, et in Chanaanidem tantummodo immisissam, quo ultionis genere descendentis à fide Judei puniretur. Malocrum alii per transpirationem, veluti canali quodam, corporum lepram ad vestes transmitti (Abaranel); quæ causa est, inquit, cur rubentes viridesque macule in leprosum vestibus non raro apparent. Nec sanè vitium illud vestium lepræ appellatur, nisi analogiâ quædam ad lepram corporum referretur, veluti quia vestium colorem immutat, contagione inter vestes morbus communicatur, pannos abrodât, ac tandem sensim augetur; hæc enim nobis ejus rei ideam Moyses ingessit (Levit. 13, 40, etc.); Si quis, inquit

ille, in panno, sive in telâ, sive in pelle quâcumque maculas aliquas subvirides vel subrubras animadvertit, statim suspicionem aliquam de leprâ concipiat. Quare delatus ad sacerdotem pannus, ejus jussu septem diebus clausus asservetur; quo temporis spatio si macula crevisse deprehendatur, statim igni res illa veluti leprâ infecta addicitur.

Si verò, inquit Moyses, idem in maculis status manserit, lotus pannus ad alios septem dies custoditur; si post id temporis macule non auctæ quidem, permansisse tamen deprehendantur, igni nihilominus res illa tanquam impura tradenda, certum enim lepræ indicium est, vel saltem macula ipsi stamini inhærens, quam scilicet igne expiari oportet. Si verò macula illa, vel locus qui lepræ suspicionem induxit, eundem exhibeat colorem, eandemque servet habitudinem quam pannus ille igne crematus habere (Levit. 15, 26. *Hineb chehab*), nempe locus esset reliquâ superficie depressior; statim frustulum à reliquo panno avellatur. Tandem si post hæc omnia, indicia lepræ in vestes gliscentis deprehendantur, ubi scilicet nulla antea observata fuerant, tunc vestis igne damnetur; immunitis verò pronuncietur, si nulla extent ejus rei indicia; tunc enim semel prius, iterumque lota pura esto. Hæc de leprâ vestium Moyses; en nostræ eâ de re conjectura. Hanc igitur lepram ex eadem vermium pannos vitantium causâ derivandam censeo. Tinea quibus panni diutius inclusi corrumpuntur, vermes esse, res est apud omnes exploratissima. Scitum est etiam malè paratas pelles huic incommodè præ cæteris exponi, quemadmodum et tinea frequenter scætant alicæ Arvenis pinguioribus lanis conteata. Huic malo repositis inter panni plicas candelis occurrunt; vermes illi pronam ceram nacti, cingunt panno, candelam abrodunt. In regionibus soli expositis, et eâ potissimum ætate cum parandi pelles et lanæ ars minis erat explorata majus certè incommodum pannis omnibus, et vestibus ex tinea timebatur. Cum autem nec vestes per eam ætatem frequenter immutari consueviscent, nec id facillè potuissent Israelite in deserto iter agentes, sicut et per eam occasionem nullus esset balnearum usus; hinc facillè eorum vestes contrahere sordes, adeoque et vermes poterant. Carbasinis quidem telis præ aliis omnibus tinea parcere consueverunt; pannis verò cæteris ac telæ ex retorto pluribus filamentis stamine contextis, plus ab his vermibus, nec minis sanè quam cæteris aliis pannis, timendum fuerat. Facillè etiam frequenter erant apud Judæos vestes illæ, quarum deinde nsum Moyses inhibuit; ex lino nempe et lanâ contextæ, quod certè panni genus contrahendis tinea aptissimum est.

Èa hypothesi semel constitutâ, ut in leprâ vestium à Moysè significatæ vermes, vestes illas et pannos abrodentes, planum est concipiamus. Coloris in panno mutatio, macularum vitium auctum, depressior superficies, veluti si igne afflata fuisset; hæc, inquam, omnia commodè explicantur, si vermes inducamus vestimenta infestantes; dum potissimum morbidiorem aliquam panni partem nacti fuerint. Facillè insecta illa

ex uno in alterum locum transmigrant, et dum sedem immutant, priorem regionem adeò vastatam relinquunt, quasi si flammâ afflatus esset locus. Crassiora enim et solida filamenta, ipsaque panni textura manet: cum interim tenuior superficies, ac lanæ vellus depasti sint. Jubet igitur Moyses, vestes illas, ut primum certum lepræ indicium exhibuerint, igne absumi; neque enim fieri potuisse creditur, ut à vermibus, quibus scætant, repurgarentur; sicut eam adhibendam cautionem censuit, ne lues in reliquis vestes propagaretur.

Quin et id consilium habuisse Moyses potuit, ne scilicet lues ex vestibus in homines transiret; quamquam enim in nostro climate et vestidit consuetudine vix contingat vestium vermes ad homines transire, non est tamen cur paria de eorum climate arbitremur. In ferventibus enim regionibus insecta abundant magis quam in septentrionalibus; neque Moysis ætate humanis commodis adeò ars et inventa hominum servierant, quemadmodum nostrâ, quâ et cætera omnia et artes ipse mechanicè in paradisi telis, pannis et pellibus ad ultimam perfectionem devenerunt.

Quicunque Sinicas regiones excurrerunt, quantum Sinenses illi adhibeant diligentiam curandis vestibus et pellibus, ne quid vermium per ætatis fervorem contrahant nobis retulerunt. Porrò pelles et pellicæ vestes frequentes apud Hebræos obtinuisse sacrâ Scripturâ ipsâ referente discimus. Earum usus in velamentis tabernaculi, à tentoriis militum, in vulgaribus Prophetarum vestibus occurrit. Moyses eâ de re sermonem habet Levit. cap. 11, 52; et 15, 48, 59; et 15, 17, veluti de re in vestibus et culcitrâ usitatissimâ. Quid veteres heroes? Nonne exuviis ursorum, tigridum, leonum alarumque belluarum induti pinguntur? veluti, ait Festus, si eo indicio priorum hominum vestes nobis designarentur. Arabes, Turcæ, Scythæ, Pannonæ, Moschi nostrâ etiam ætate pelle in vestibus, culcitrâ, tentoriis, mensis adhibent. Pelles sanè omnes, et vellera, nisi sedulâ arte parentur, vermes facillè, eamque, quam Moyses vocat lepram vestium, contrahunt. Porrò de vermibus, vestimenta corrumperibus frequens est in sacrâ Scripturâ sermo, veluti si res esset eâ ætate exploratissima. Job, c. g., ait (Job. 15, 18): *Quasi putredo consumens sum, et quasi vestimentum quod comeditur à tinea*. Salomon in Prov. 25, 20: *Sicut tinea vestimento, et vernis ligni; ita tristitia viri nocet cordi*. Isai. 51, 8: *Sicut vestimentum, sic comedit eos vermis; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea* (Vide etiam Ose. 5, 12; Isai. 50, 9. Ps. 58, 12; Eccli. 12, 15).

Edium lepra de quâ Levit. 14, etc., Israelitis, cum potissimum in Ægypto versarentur, notissima creditur; nec sanè in Chanaanitide, quò ipsi transmigrabant, lues erat extranea; quod enim in deserto eâ de re Moyses sancivit, id sanè ad futuras gentes sedes referendum fuerat, cum nullæ tunc essent populo ædes, quibus à leprâ caveret. Ita verò Moyses de leprâ domorum. Cum in parietibus domus inæqualis superficies non sine subviridi, vel subrubro colore infecta

apparuerit; statim eâ de re monitus sacerdos asportari omnia è domo, atque vacuum septem diebus clausum custodiri præcipiet. Eo temporis spatio evoluta, si indicia morbi crevisse, atque lues intimius penetrâsse deprehendatur, avulsi è pariete lapides in locum extra urbem immundum projiciantur, tum et parietes abradi, et erasum pulverem extra urbem spargi præcipiet. Denum novâ calce oblita interiora domus, atque puris lapidibus in locum impurorum substitutis, oblato prius pro ejus expiatione duorum passerum sacrificio, salva erunt omnia. Si quid tamen deinde veteris lepræ occurrerit, tunc inveterati et pervicacis morbi indicium esto; quare eversa statim domus ruderâ omnia extra urbem in locum impurum projiciantur. Hæc Moyses; hæc verò eâ de re nostræ conjectura.

Ope microscopi (Vide *Journal des Savants*, an 1668) vermicali quidam lapides abrodentes detecti sunt, quos colore nigrâtes, duabus lineis circiter oblongos, tribus lineæ quadrantibus latos, testâ subnigrâ munitis, describunt. Addunt etiam tribus illos pedibus capiti proximioribus ex utroque latere instructos esse, pediculi instar, sicut et caput habere pro reliquo corpore crassius; gulam ferunt quatuor mandibulis in crucis modum conformatis paratam; has autem mandibulas semper habent expeditas, atque instar circini quadripartiti lateris removo; oculos tandem gerunt rotundos nigricantesque. Mortaria pariter vermiculorum, tinea casè nihilominus minorum, exeretis rodit: subnigri illis, et quatuor longioribus pedibus ex utroque latere instructi. Neque est cur eâ de re vehementer miremur, cum nihil frequentius occurrat, quam corallii ramusculi, atque conchæ pulcherrimæ vermibus perviæ, quin et vitri vermicalati frustulum me-

morant, è cuius plures etiam forulis educti vermes. Hæc igitur insectorum genera, à quibus nec lapides, nec parietes immunes sunt, cavenda Moyses edixit. Solent autem vermes illi humidis ædibus, facillè suis aculeis perviis, detectari; hinc color subviridis vel subrubri inductus; hinc etiam situs quidam, et macule ex humoris affluentibus resultatent. Lapides emarcescunt, quin et in grana resolvuntur, postquam tenuiores compagine vermes abrosentur; ita contigit non rarò, ut mortaria ipsa ultro dissoluta in sabulum abeant, postquam scilicet tenui illud et imperceptibile gluten vermes devorârunt.

Sunt igitur facillè vermes illi lapidum et mortariorum, quos Moyses lepræ domorum nomine designatos voluit; quemadmodum et mala ab illis causata omnia ipsissima sunt, quæ Moyses eidem lepræ attribuit. Nec sanè abs re sunt cautiones illæ in lege præscriptæ, cum nostrâ hypothesi apprime quadrantent. Primò igitur sedulò observandum præcipit, ut macule illi subvirides, seu subrubræ spatio septem dierum increverint; nempe an vermes opus suum vehementer promoverint. Detecto luis argumento, statim avulsi lapides, et erasi parietis pulvis in locum extra urbem remotum projiciuntur; ne quid scilicet ab insectis illis mali turbi imminet. Tandem si omnes illæ cautiones non satis malo occurrissent deprehendantur, nec pestis gliscere desierit, tunc domus deicienda; neque enim fieri potuisse creditur Moyses, ut vermium pervicacæ mitioris remedio occurreretur; quare deiciendum ædem censui, ne omnes contagione corrumpentur. Consule nostram dissertationem in morbum Jobi, ubi eam in rem plura congestimus, demonstrare conati veneros morbos et lepræ genus esse, et apud veteres non ignotos.

## DE MOLOCH DEO AMMONITARUM Dissertatio.

Cum tria sint deorum nomina, quorum in scriptis Mosais mentionem recurrit, nempe Moloch, Phegor et Chamos, singulis dissertationibus agendum de illis seorsum constituimus. Par est enim ut de vetustissimis, quæ uspiam occurrant, numinibus, quorum aliquin frequens est in sacrâ Scripturâ mentio, atque Israelitis sepeissimè fuerunt offendiculo, exactius aliquid afferatur in medium. Primus igitur prodeat, qui primus etiam in Scripturâ legitur, Moloch; de cuius figurâ, genio, cultu, cultoribus, quemadmodum et de affinitate cum cæteris paganorum numinibus, disquiramus. Quâ in re non parvo nobis erunt adiumento doctissimum virorum (Selden. Syntag. de Diis Syris; Spencer. de Legib. Hebr. ritual. l. 2 c. 10; Vass. de

Orig. et progr. Idolol. l. 2, c. 5) de hoc argumento lucubraciones, quibus novi aliquid de nostro adjungendum suscipiemus. Cautum est Israelitis (1), ne filios suos pro ignem tradere usquam in cultum Moloch audeant; quod etiam præceptum Moyses iterum validius inculcans (Levit. 20, 2, etc.), lapidum ab universo populo injiciendorum supplicium in transgressores edicit; tum Dei verbis hæc addit: *Ego ponam faciem meam contra illum; succidamque illum de medio populi sui, eò quòd dederit de semine suo Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, et polluerit nomen sanctum meum. Quòd si negligens populus terræ et*

(1) Levit. 17, 21: De semine tuo non dabis ut consecratur Moloch.